SAN GEMINI HISTORIC ARCHIVES PROJECT
Realizzato e sponsorizzato dal
San Gemini Preservation Studies
e Associazione Valorizzazione Patrimonio Storico San Gemini Onlus
www.sangeministudies.org

ARCHIVIO STORICO COMUNE DI SAN GEMINI
Progetto di Digitalizzazione
Tutti i documenti originali e copie digitali fanno parte
dell' Archivio Storico Comune di San Gemini

C
62/8

Auscultata cum originalibus et concordat. Jo. [illegible]

Sixtus episcopus servus servorum dei ad perpetuam rei memoriam

Pastoralis officii cura quam disponente domino licet immeriti gerimus nos admonet propensius et hortatur ut circa universorum christifidelium presertim nobis et Romane ecclesie etiam in temporalibus subditorum pacem et tranquillitatem solicitis studiis intendentes ea que inter ipsos sucessis litigiorum anfractibus iudicio vel concordia diffinita sunt ut firma illibataque permaneant et in recidive contentionis scrupulum non relabantur libenter cum a nobis petitur apostolico munimine roboremus. Sane pro parte dilectorum filiorum Universitatis hominum Terre nostre Sanctigemini Narnien. dioc. nobis nuper exhibita petitio continebat quod olim ipsi et dilecti filii Communitas Civium Civitatis nostre Narnien. cupientes invicem pacifice et quiete vivere et se ab expensis et laboribus litium ac scandalis que ex eis oriuntur relevare omnem litem questionem causam contentionem et controversiam que vertebatur et verti posset inter eos nomine et occasione finium Senaitarum nuncupatorum territoriorum Civitatis et Terre predictarum ac dependentium et emergentium ab eisdem et connexorum illis necnon contaminationum indesecutarum de eorum communi concordia et voluntate per certos tunc eorum Sindicos ad id sufficiens mandatum habentes in quondam Johannem de Capestrano ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum professorem et Matheum Cristofori de Podio Civem Bononien. tanquam in eorum arbitros arbitratores amicos communes et amicabiles compositores ac bonos viros cum potestate plenissima lites huiusmodi cognoscendi et terminandi prout eis videretur et placeret sponte compromiserunt qui compromisso huiusmodi in se sponte suscepto [illegible] laudum huiusmodi [illegible] quibusdam Instrumentis publicis desuper confectis que in Cancellaria apostolica diligenter inspici et omissis Notariorum de illis rogatorum signis et caracteribus de verbo ad verbum presentibus annotari fecimus plenius continetur. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat a nonnullis asseratur compromissum et arbitramentum predictum ex eo quod dictus Johannes dicti ordinis professor erat non valuisse nec valere pro parte Universitatis predictorum asserentium ordinata decreta et statuta per dictos Johannem et Matheum fuisse postmodum executioni demandata et usque in hodie per ipsas partes observata seque cupere cum prefata Communitate pacifice vivere et arbitramentum predictum pro utriusque partium earundem quiete perpetuo observari nobis fuit humiliter supplicatum ut compromisso et indesecuto arbitramento sive laudo huiusmodi pro eorum subsistentia firmiori robur nostre confirmationis adiicere proque potiori cautela omnia statuta decreta ordinata terminata confinata et declarata ac mandata per prefatos arbitros et arbitratores ac per utriusque partis Sindicos ut prefertur acceptata et executioni debite demandata denovo statuere decernere ordinare terminare confinare ac declarare et observari mandare aliasque eis in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui pacem et tranquillitatem cunctorum christifidelium intensis desideramus affectibus huiusmodi supplicationibus inclinati compromissum et indesecutum laudum predicta ac prout illa concernunt omnia et singula in prefatis Instrumentis contenta apostolica auctoritate tenore presentium approbamus et confirmamus ac presentis scripti patrocinio communimus supplentes omnes et singulos defectus siqui forsan intervenerint in eisdem. Ac pro potiori cautela omnia et singula statuta decreta ordinata terminata confinata declarata et mandata per eosdem Johannem et Matheum denovo statuimus decernimus ordinamus terminamus confinamus declaramus et perpetuo observari mandamus Non obstantibus premissis ac Constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Tenores vero Instrumentorum compromissi et laudi predictorum successive secuntur et tales sunt.

In nomine domini Amen Anno eiusdem a Nativitate Millesimoquadringentesimovicesimonono Indictione Septima tempore sanctissimi in christo patris et domini nostri domini Martini divina providentia pape V die vicesimotertio Mensis Augusti Actum in silva Turris Piczi tenimenti dicte turris iuxta suos fines presentibus fratre Jacobo Bettini fratre Marco Petri fratre Johanne Johannis omnibus de Sanctogemino et fratre Rufino de Viterbio testibus ad infrascripta vocatis habitis et rogatis In quorum presentiam Nobiles viri Paulus Benedicti ser Petrus Thome et Pelegrinus Angeli de Narnia Sindici et procuratores Comunis Civitatis Narn. habentes ad infrascripta speciale mandatum sponte nomine dicti Comunis ex una parte de quo sindicatu patet manu ser Antonii ser Andree de Tiano Cancellarii et Notarii reformationum dicti Comunis et Universitatis Civitatis Narn. et Nobiles viri Franciscus Magistri Petri de Alvis Honofrius Magistri Johannis de Gromolis et Paulus Johannis Tralucentis de Terra Sanctigemini Sindici et procuratores dicte Universitatis Terre Sanctigemini ex alia parte de quo sindicatu patet manu mei Petri Sandri Notarii et Cancellarii infrascripti de omni lite questione causa contentione et controversia vertenti et que verti posset inter dictas Communitates Civitatis Narn. et Terre Sanctigemini nomine et occasione finium et Senaitarum et dependentium emergentium et connexorum ab eisdem ac de processibus et de condemnationibus exinde secutis de eorum communi concordia et voluntate compromiserunt et compromissum fecerunt in venerabilem et reverendum religiosum fratrem Johannem de Capestrano ordinis fratrum Minorum tanquam in eorum arbitrum et arbitratorem et in Nobilem et egregium virum dominum Matheum Cristofori de Podio de Bononia tanquam in eorum arbitrum et arbitratorem amicos comunes et amicabiles compositores a dictis partibus electos concorditer et assumptos presentes et acceptantes quibus arbitris et arbitratoribus dicte partes et quelibet earum vice et nomine dictarum Communitatum Civitatis Narn. et Terre Sanctigemini dederunt et concesserunt plenam licentiam et liberam potestatem arbitrium et bailiam dictas lites questiones causas et controversias inter dictas Communitates vertentes et ipsarum quamlibet declarandi sententiandi laudandi transigendi iudicandi arbitrandi arbitramentandi pronuntiandi componendi et diffiniendi cum scriptura vel sine scriptura de iure et de facto omne totum id et quicquid predictis arbitris amicis comunibus et amicabilibus compositoribus placuerit et videbitur faciendum et hoc partibus presentibus vel absentibus citatis vel non citatis una parte presente et altera absente diebus feriatis et non feriatis solemnibus repentinis et non solemnibus summarie simpliciter et deplano sine strepitu et figura iudicii sedendo vel stando in quolibet loco et parte iuris et iudicii solemnitatibus et substantialitatibus servatis et pretermissis et prout et sicut eis videbitur et placebit et quod dicti arbitri amici comunes et amicabiles compositores possint et valeant auctoritate presentis compromissi et potestate eisdem attributa per predictas partes et quamlibet ipsarum partium nomine et vice dictarum Communitatum accipere auferre et exigere de iure et parte unius Communitatis et dare et concedere alteri Communitati in maxima magna aut modica quantitate in totum vel in parte et econtra secundum quod eis videbitur et placebit expedire Et voluerunt dicte partes et quelibet ipsarum expresse et ex speciali pacto solemni stipulatione vallato et apposito et expresse habito inter ipsas partes et quamlibet ipsarum quod laudum arbitrium arbitramentum seu sententia sequenda ex presenti compromisso habeat vim transactionis Promit[illegible] ratum et firmum habere et tenere perpetuo facere attendere et observare et executioni mandare [illegible] et totum quod per dictos [illegible] laudatum sententiatum [illegible] et mandatum. Promittentes etiam dicte partes et quelibet ipsarum nomine et vice dictarum Communitatum a dictis laudo sententia arbitramento dicto et declaratione ferenda per arbitros predictos non appellare Renuntiantes predicte partes et quelibet ipsarum promissioni stipulationi renuntiationi pactorum conditionum non sic factorum et non sic facti compromissi [illegible] conditioni ob causam sine causa et ex iniusta causa et generaliter omni alii exceptioni et beneficio legum et iuris auxilio canonici et civilis scripti et non scripti per que seu quos contra predicta [illegible] vel aliquod predictorum venire seu allegare possent aut venienti et allegantj consentire tacite vel expresse de iure vel de facto sub expressa ypotheca et obligatione omnium bonorum dictarum Communitatum et sub pena et ad penam Mille florenorum auri Camere apostolice applicandorum ex speciali pacto habito et convento inter predictas partes et quelibet ipsarum [illegible] solvenda dicta pena per partem inobedientem Camere [illegible] totiens quotiens contraventum fuerit [illegible] non qua pena commissa vel non exacta vel non soluta vel non hoc presens compromissum et arbitrium exinde ferendum et contenta seu continenda in eis et quolibet ipsorum omni tempore rata grata atque firma perdurent et inviolabiliter observentur Demum dicte partes et quelibet ipsarum nomine et vice dictarum Communitatum renuntiaverunt omnibus eorum iuribus [illegible] testium productioni et examini et aliarum quarumcunque scripturarum tam publicarum quam privatarum hoc tamen reservato [illegible] quod in casu quo non terminentur et firma remaneat dicta lis remaneat ex nunc in esse suo in quo nunc est [illegible] in dominum Matheum Cristofori ut Commissarium predictum per dominum nostrum papam deputatum Et ad robur omnium predictorum dicte partes et quelibet earum nomine et vice dictarum Communitatum iuraverunt ad sancta dei evangelia scripturis corporaliter manu tactis predicta omnia et singula rata et firma habere et tenere et non contrafacere vel venire aliqua ratione vel causa de iure vel de facto sub pena et obligatione predicta Precipientes dicte partes et dicti arbitri et arbitratores michi Petro Notario infrascripto una cum ser Antonio ser Andree de Tiano Cancellario et Notario infrascripto de predictis duo confici instrumenta publica consilio et dictamine cuiuslibet sapientis totiens quotiens fuerit opportunum substantia facti tamen non mutata et cuilibet parti suum dari atque tradi Et ego Petrus Sandri de Villanova Asten. dioc. publicus apostolica et Imperiali auctoritate Notarius et Iudex Ordinarius predictis omnibus et singulis dum sic agerentur interfui et una cum ser Antonio ser Andree de Tiano Notario infrascripto rogatus scribere scripsi et publicavi in quorum testimonium me subscripsi et signum meum apposui Et ego Antonius ser Andree de Tiano publicus Imperiali auctoritate Notarius et Iudex ordinarius et nunc Canc. Civitatis Narnie predictis omnibus et singulis ut supra legitur presens interfui et ea rogatus una cum supradicto ser Petro subscripsi et publicavi fideliter signumque meum apposui consuetum.

In dei nomine Amen. Nos frater Johannes de Capestrano ordinis fratrum minorum et Matheus Cristofori de Podio de Bononia arbitri et arbitratores amici comunes et amicabiles compositores electi et assumpti a Nobilibus viris Paulo Benedicti ser Petro Thome et Pelegrino Angeli de Narn. Sindicis et procuratoribus Cois Civitatis Narn. ex una parte de quo sindicatu patet manu ser Antonii ser Andree de Tiano Cancellarii et notarii reformationum dicti Cois et Universitatis Civitatis Narn. et a nobilibus viris Francisco Magistri Petri de Alvis Honofrio Magistri Johannis de Gromolis et Paulo Johannis Tralucentis de Terra Sanctigemini Sindicis et procuratoribus dicte Universitatis Terre Sanctigemini ex alia parte de quo sindicatu patet manu mei Petri Sandri Cancellarii et Notarii infrascripti super decidendis et terminandis litibus questionibus et controversiis vertentibus et que verti possent inter dictas Communitates Civitatis Narn. et Terre Sanctigemini nomine et occasione finium et Senaitarum et dependentium emergentium et connexorum ab eisdem ac de processibus et condemnationibus exinde secutis prout de compromisso in nos facto seriosius et latius patet manu ser Antonii ser Andree de Tiano et ser Petri Sandri Cancellariorum et Notariorum predictorum et infrascriptorum Volentes Communitates predictas ad concordiam reducere et ipsas lites amicabiliter terminare auditis et intellectis pluribus et pluribus dictis partium et toto eo quod dicere et allegare voluerunt et insimul habitis pluribus et variis colloquiis et tractatibus super premissis dictisque finibus et Senaitis pluries personaliter per oculorum inspectione visis et consideratis locorum aptitudine verisimilitudine et situ pensatis habitisque a plurimis antiquis et fidedignis hominibus informationibus sequentes formam dicti compromissi vigore arbitrii nobis in hac parte concessi et attributi a partibus supradictis nomine et vice dictarum Communitatum Christi eiusque matris semper virginis gloriose ac totius celestis Curie nominibus et suffragiis invocatis tandem devenimus ad declarandum pro bono pacis et concordie dictarum partium nomine et vice dictarum Communitatum hiis modo et forma inferius declaratis Videlicet Inprimis dicimus laudamus cognoscimus declaramus transigimus arbitramur arbitramentamur et diffinimus pronuntiamus sententiamus quod terminus dividens territorium inter Civitates Narn. et Sanctigemini sit et esse debeat ad [illegible] cerquam signatam antiquitus signo crucis et cum quadam cruce nova subtus illa antiqua in extremis silve turris Piczi ubi est missus quidam terminus lapideus signatus [illegible] descendendo directe per fossatum [illegible] quod fossatum dicitur fossatum [illegible] et ab alio latere campi Cornacchie et iuxta fossatum et campum sunt multi ulmi descendendo per directum sicut currit fossatum usque ad pedem montis Castri Collmaiol descendendo per ipsum usque ad primum fossatum [illegible] supra domum Valentis versus montem Collmaiol ad usque unum terminum missum ad pedem [illegible] quercus cum cruce [illegible] lapideus et transfusando a dicto termino versus stratam per quam itur ad Sanctumgeminum et Collmaiol sub Sanctam Susannam recta linea et abinde secundum pendentiam aque per montem versus [illegible] et per dictum fossatum usque ad possessiones [illegible] Honofrii Magistri Johannis et Francisci [illegible] inter predictas possessiones [illegible] prefatum fossatum usque ad terminum missum [illegible] Sanctumgeminum usque ad quercum dicte possessionis in angulo signatum cum cruce et ea dicta quercu usque ad aliam quercum versus Sanctumgeminum et a dicta quercu ascendendo per limitem [illegible] sancti Bettini usque ad sepem prope turrim sancti Bettini [illegible] Sanctumgeminum et a dicta sepe usque ad stratam [illegible] per stratam veterem qua itur Interamnam usque ad viam que vocatur via Sancti [illegible] [illegible] usque ad terminum missum in capite possessionis [illegible] Johannis Pauli de Cattaryis de Sanctogemino usque ad fossatum antiquum et per dictum fossatum descendendo usque ad confinia territorii Castri Cesarum que dividit territorium Sanctigemini et territorium dicti Castri Item sententiamus laudamus transigimus et arbitramur [illegible] libere et secure sine aliqua solutione pedagii [illegible] Item laudamus et sententiamus [illegible] Item sententiamus laudamus transigimus et arbitramur [illegible] omnia et singula suprascripta precipimus iubemus et mandamus nos predicti arbitri arbitratores amici comunes et amicabiles compositores omni modo via iure et forma quibus magis et melius possumus et debemus Mandantes dictis partibus et eorum sindicis et deputatis presentibus audientibus et intelligentibus [illegible] observare sub pena et ad penam in compromisso in nos facto contenta [illegible] Pelegrino Angeli et ser Petro Thome sindicis et procuratoribus Cois Civitatis Narn. et acceptantibus [illegible] pro dicta Communitate Narn. et nomine [illegible] et presentibus Honofrio Magistri Johannis de Gromolis Francisco Magistri Petri de Alvis et Paulo Johannis Tralucentis de Sanctogemino et acceptantibus in parte et partibus facientibus pro dicta Communitate Sanctigemini et aliis [illegible] Latum et datum et in hiis scriptis finale pronuntiatum et promulgatum fuit dictum laudum [illegible] pronuntiatio et arbitramentum per suprascriptos arbitros et arbitratores amicos comunes et amicabiles compositores [illegible] pro tribunali super quodam ligno existenti ante hospitale sancti Bettini de Collaprie in tenimento Sanctigemini iuxta ipsum hospitale christi nomine invocato et eligentes dictum locum pro tribunali sub anno domini Millequadringentesimovicesimonono Indictione septima tempore sanctissimi in christo patris et domini nostri domini Martini divina providentia pape V die vicesimoquinto Mensis Augusti presentibus Paulo [illegible] et Francisco [illegible] de Interamna et ser [illegible] Johannis [illegible] de Narn. et pluribus aliis testibus ad predicta vocatis habitis et rogatis et ser Antonio ser Andree de Tiano Cancellario et Notario reformationum Civitatis Narn. subscripto qui una mecum de predictis fuit rogatus Et ego Petrus Sandri de Villanova Asten. dioc. publicus apostolica et Imperiali auctoritate Notarius et Iudex ordinarius predictis omnibus et singulis dum sic agerentur interfui et una cum ser Antonio ser Andree de Tiano Notario infrascripto rogatus scribere scripsi et publicavi in quorum testimonium et ad fidem omnium premissorum me subscripsi et signum meum apposui Et ego Antonius ser Andree de Tiano publicus Imperiali auctoritate notarius et Iudex ordinarius et nunc Canc. Civitatis Narnie predictis omnibus et singulis ut supra legitur presens interfui et ea rogatus una cum supradicto ser Petro subscripsi et publicavi fideliter signumque meum apposui consuetum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre approbationis confirmationis communitionis suppletionis statuti constitutionis ordinationis terminationis confinationis et mandati infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Dat. Rome apud Sanctumpetrum Anno Incarnationis dominice Millesimoquadringentesimoseptuagesimoquarto Undecimo Kl. Januarii Pontificatus nostri Anno Quarto.

Jan

P. de Spinosis
P. de Chiavis
P. de Monton

Bertinus

L. Grifus

G. Polidarpus Gandolfi

Archivio Storico
Comune di San Gemini – TR
D.7

Archivio Storico
Comune di San Gemini – TR
D.7 r

© Tutti i diritti d'autore al documento ed alla copia digitale appartengono all'Archivio Storico Comune di San Gemini, TR
© All copyrights to this document and to the digital copy belong to the Archivio Storico Comune di San Gemini, TR